1980
L
1051

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0001-5

8

C. e. 12

00 Ie

Script. lat. recent. in Quarto
No 23

2 N. 7.

II 2 . 07

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0002-1

2

Lodouici Bigi pictorij Ferrariẽsis Christianoꝝ opusculorum liber secundus

Ouidius
Iudice me fraus est concessa repellere fraudem
Armaque in armatos sumere iura sinunt
Mantuanus
Pellere vim vi iura sinunt, et vulnere vulnus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0004-2

Lodouici Bigi opusculorum Cristianorum Liber secundus. Ad Albertum Pium xv.

QUod felix faustum fortunatumque sit: exi

Iam liber: & domini scrinia linque tui

Sed ne liuor edax obsit tibi: quere patronum:

Quo valeas tuto/quo lubet ire pede.

Nec volo (sint procul hec) phoebea per antra recurras:

Nunc fugit aonios pagina nostra deos.

Christicolas hominem vigil indagato per aedes:

Qualem scripta deo non Ioue plena decent.

Quique vna trinum sub maiestate tonantem

Et colit: & leto iugiter ore legit.

Sis facilis: nostrumque tibi permitte dicari

Lux Alberte pie maxima gentis opus.

Te iuuat in sacris mentem exercere libellis:

Vre: profanatum molle ve siquid erit.

Paruum opus est. sed forte sua sub breuitate putabis

Grandius: e terris sternit ad astra viam

¶ Formice exemplo/excitatio ad anime salutem. Ad Strozam xvi.

SAncta Cleonaeo flagrabant sidere: meque

Vrbe grauem ruris sollicitabat amor.

Haud procul egressus sole inclinante sub vlmo

Longo formicas agmine conspicio.

E foueis pars haurit humum: pars claudit aquarum

Ostia constructis firmiter aggeribus.

Multe oris maiora trahunt se forcipe grana:

Auerse multe posteriore pede.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0005-7

Pars humeris molitur opus: pars educat aegras
Pars effert celebri corpora functa rogo.
Pars hyemis memor instantis: ne rursꝰ in herbā
Humida succrescant semina: dente premit.
Quodq̃ magis mirum est: inter tot millia nunq̃
Impedit egrediens introeuntis iter.
Quin potius: siquam videat sub pondere victā:
Erigit elapsam: saepeq̃ fasce leuat.
Caetera quid memorem? quae cōcursatio? quāta
Sedulitas? studium quale? quis ordo foret?
Sic mecum: me ne e somno miserabilis vnq̃
Eruero? nunq̃ cura salutis erit?
Tantillae vt seruent animantes frigore vitā:
Vnanimes agitat q̃ grauis ecce labor.
Ast ego diuinae munitus acumine mentis.
Nesciero vitae consuluisse meae?
Et qd agūt pleriq̃ hoīz: magis aequora ꝛ vrbes
Circuero vt grandes accumulentur opes?
Aut ego maluero scrutari pectore: quantum
Distet ab humenti stellifer axis humo?
Vndeq̃ sanguineo minitetur crine cometes?
Unde pluant lapides? contremat vnde solū?
Quid glomeret nubes? qua vi soluantur i imbres?
Cur medio lateant astra minora die?
Et quibus erumpant agitata tonitrua ventis?
Cur vaga transuerso fulmina calle ruant?
Inq̃ cauis voces quae causa reciprocet antris?
Quid sit fulgetrū? grando? pruina? niues?

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0006-3

Quia virtute leuet cautes magnesia ferrum:
Extinguat tactas qua Salemandra faces:
Cur fluat: et refluat: cur nunc sublime feratur
Nunc humiles: et salsa cur eat equor aquas:
An queat Aeea consurgere mortuus artes:
An queat in terras carmine Luna trahi:
Cur alio lignum mergatur in amne: natentq3
Aera alio: atq3 alijs sit calor int⁹ aquis:
Scilicet his opus est venture ad premia vite:
Scilicet ad superas hinc datur ire plagas.
Diuitie nec enim/ nec multa peritia rerum:
Sed nos foelices mens sine labe facit.
Ergo boni velut agricole mala germina carpūt
Plus ferat vt culmo liberiore seges:
Digna ita vindicibus ne nostra sit ignibus arbor:
Stroza procuremus vellere: quicquid obest.
Et cum vita breues tolerauerit ista labores:
Aeterna requie detur vtriq3 frui

¶ Peccatori nō esse desperādū Ad Albū xvij

Excedant numero estiuas tua crimina frōdes:
Singulaq3 excelso sint grauiora iugo
Desperare tamen noli: tibi quippe remitti
Exigua possunt omnia lachrymula
Ipse suo nostros humero portasse labores
Dicitur eterni filius Albe patris.
Arcta via est inquis: superas que tendit ad arces
Esto: sed et portu non caret ampla suo
Port⁹ i hoc vasto est (male ne te distrahat error)

Aequore/delicti poenituisse sui.
Arctā omni peragrant tm̄modo labe carētes
Precursor domini qualis: Abelqȝ fuit
Sed latro est permensus iter spatiosius: et quo
Mortuus est: habuit regna beata die.
Flerit em̄ quacūqȝ animus vel pessim⁹ hora:
Protinus hunc gremio suscipit omnipotens.
Hinc ea sidereos ingressa fuere penates
Agmina: que nemo dinumerare potest.
Fallor: an et strictā ⁊ largā qui credit eandem
Esse viam: q̄ vero discrepat ille nihil:
Christicole: ad supos ceu sit via stricta: timēdū ē:
Sperandum: ceu nil latius esse queat.
Spes simul ⁊ formido dei sub lege iugantur:
Hec illi. huic miro congruit illa modo.
Esto etiam spatiosa nigrum via ducat ad orcū:
Maior et infernis turba feratur aquis:
Cerne Eurū ⁊ Zephirū Boreāqȝ tuere notūqȝ.
Christicole in toto pars gregis orbe quota ē:
Nec quoniam multos deus asserit esse vocatos:
Electos paucos: extimuisse velis.
Perlege scripturā: nūmū capit vltim⁹ eque ac
Primus: ⁊ a domino nullus inanis abit.
Si nequeas sedem electe meruisse cohortis:
Qualem martyr habet virgineus ve chorus:
Querere vocatorum saltem esse nouissim⁹: idqȝ
In summis etiam rebus habere velis.
Nonne vocat multos ⁊ amat terrena potestas:

Cum paucisq; tamen nocte dieq; manet.
Pone: q excelsis sis ima in valle barathri:
Et restim ex alto porrigat are deus.
Tam ne salutarem tardabis prendere funem?
Et tamen hoc differs: nec tua damna vides
Flecte gradum: peccasse dole: summitte tonanti
Ceruicem: et sine te: quo velit: ille trahat.
Teq; vbi cuncta tuis pro viribus egeris: esse
Momenti seruum nullius Albe puta.
Sic funem capies: puteiq; voragine ab alti
Illesus poteris prosiluisse foras.

Oppressis succurrendu esse Ad Potremolu. xviij

Sic ne aig datus e mihi nubilus: vt mea nodu
Grata sit accepti pieris officij
Monstra ferat tellus: modo sit qui conterat illa:
Clareat vt virtus: insiet vbiq; labor
Auxilio meus ecce tuo iacet hostis: et in me
Prostratus solito frendere more nequit
Q bene tam nocuis Pontremole pestib; obstas
Q bene seua pia compzimis ora manu.
Sic merito primi: tibi conceduntur honores:
Teq; colit populus principibusq; places.
Quod gen; hoc hoiz est: ritu seuire ferarum:
Voceq; spumanti terrificare bonos:
Cui nisi reclames: grauius crudescit in horas
Et durat nullis ira repressa minis.
Sic nisi latrantes saxo vel fuste molossos
Contuderis: rabido serius ore tacent.

Quod si sancta pari sinerent par iura referri
Non ego percuterem debiliore manu.
Et sua bacchantes exercent arma poetæ:
Et penetrant iaculis ossa profunda suis
Sed quoniam est solius opus vindicta tonātis
Parcendum humanis duri ego verberibus
Tu bonꝰ oppressis (quod agis) succurrere persta:
Vitā sacris cœli postibus inde para.
Profuerit quid enim præsens tibi gloria: si sit
Post auidos flendi causa futura rogos:
Aeterni prælude bonis fœlicibus æui
Quam potes angelica te bonitate gerēs
Nonne vides: quantū volat irreuocabile tēpus:
Hæc tam pulchra leuis mox caro puluis erit.
Vel bona sidereas nos facta sequentur ad arces:
Vel mala nigrantis stagna sub ima plagæ.
Ingemet: humano gaudet quicunq; cruore:
Qui pius est: nullo fine beatus erit.

¶ Cauendū esse a falsis amicis Ad Lucā

Ante procellosis pelagus q̄ꝫ seuiat vndis:
Nescio quid rauca triste susurrat aqua.
Et crepitu instantem lapsura palatia casum
Prædicunt: et habet trux sua signa notus.
Et nubes pluuiam: et fumus præunciat ignem
Corda hominis nullus prænocitura videt.
Ille repentino ferit ense: minusq; videtur:
Quo propiore tibi est iunctus amicitia
Hic oculis opus est & mentis acumine: nāq;

Haud bene deprendi blanda pericla queunt.
Offendunt stimulante fame volucresq́ ferasq́:
Laedendi causa laedere gaudet homo.
Et struit insidias: tibi dum blanditur: et uno
Saepius applaudit tempore teq́ ferit.
Sic caput insomni Cyllenius abstulit Argo:
Fabula proposito conuenit illa meo
Seruat Aristorides centeno lumine vaccam
Securusq́ sui nil cauet ipse sibi.
Negligimus propriam nos defensare salutem.
Ne fluxae pereant: inuigilamus opes/
Nil homine est homini funestius: hūc fuge: vel te
Aduersus tantam protege perniciem.
Nec tibi sunt equites Luca pedites ve parandi:
Tutari solo te potes ingenio.
Te quoniam fortuna tibi nūc blādula ridet:
Coepit amicorum plurima turba sequi.
Te decus ille suū: propriam vocat ille salutem
Te vocat hic dominum: te vocat ille patrē.
Nec verbis horum/ nec vultibus esse putaris
Credendum: possunt corde subesse doli.
Tu tantum prodesse bonis: nulliq́ nocere
Quere. nec exiguo viuere turpe puta.

Eos redarguit: qui hoīm vitā nimis breuē eē cōqueruntur. Ad Sebastium xx.

Uita nimis plerisq́ hominū breuis esse videtur
Et fugere Eleo puluere qualis equus.
Nec miseri nostrum esse vidēt producere pensa.

Parcarum: aut celeri rumpere posse manu.
Sicut enim labuntur opes: si dentur inerti:
Sic male et utenti tempore vita fluit.
Ille superuacuis implens laquearia gazis
Hoste sui semper pallet auaricia.
Hic opibus dolet alterius: dolet alter honore
Hic natat ob nimium mente oculisque merum.
Sunt: qui magnificis præterant flumina villis:
Sunt: qui in præruptis montibus ædificent
Hunc pendens tenet ambitio: merciqꝫ vacātes
Hic peragrat terras. circuit ille fretum.
Indulget citharis alius: vacat ille iocosis
Cantibus: hic formæ: viribus ille fauet.
Marmoreis alter statuis vel in ære figuris
Hæret: apelleis alter imaginibus.
Regibus hos seruire iuuat: plerosque puellis:
Atque aliquos pueri (proh scelus) urget amor
Per noua iactantur multi conamina: dum nil
Quod prius cōposita mēte sequantur: habēt.
Segnicies alios: alios status occupat urbis:
Clamosi quosdam lis rabiosa fori.
Nimirum breuis his ætas humana videtur:
Cum perdant vicio tempora multa suo
Quæ per nos alio sunt instituenda Sebasti
Ordine: ne nobis præcipitanter eant.
Lusimus in paruis satis: ad maiora vocamur:
Congrua que puero: res: inhonesta viro est.
Jam leuia alati valeant commenta caballi:

Mens: sibi quod prosit: iam meditetur iter.
Qui colat infelix ergastula: cogitet: et quas
Hinc simul exierit: sit subitura plagas.
Illaque perpetuo nostras vox intonet aures:
Surgite: vos iudex corpora functa citat.
Sic neque pauperie/ neque deterrebimur egris
Artubus: hinc animo proficiente magis.
Et prope cum nostre fuerint confinia vite
Iamque anime in primis astiterint foribus
Decurso leti stadio fœliciter istinc
Ibimus angelico concomitante choro.
Tunc si quis vixisse breves nos dixerit horas:
Nil preter solos computat ille dies.

¶ Parenesis ad Zanclū: q̄ cū pueritiā religiose egisset: adultus viciose viuebat. xxi.

E Loquar: an taceā: timor hic: amor inde fatigāt
In variasque trahunt pectora nostra vices
Dulcibus vt monitis te correxisse laborem:
Suadet amor/ cōtra supprimit ora metus.
Non quia te dubitem lesisse: fidelia namque
Verba quibus capias auribus: edidici.
Latrantes timeo quos educat aula molossos:
Aula salutiferis insidiosa viris.
Ast etiam latrante canum nonne agmine sepe
Predari esuriens audet ouile lupus:
Num levior fraternus amor: victusque timore
Non aget: efficitur quod stimulante fames.
Omnia verus amor suffert: amor oia vincit.

Nil timet: exhilarat tristitia: leta iuuat.
Ante abitũ e pulchris: fueris q̃ sanctus ephebis:
Nunc etiam fama testificante patet.
O mores hominũ: quantũ es mutatus ab illo
Hectore: dignosci vix bene Zancle potes
Tunc obscena tuo vox nulla cadebat in ore:
Nunc fas esse putas verba inhonesta loqui
Te placidum cunctis summissa mente gerebas:
Nunc verbis nullum mitibus alloqueris
Doctiloquos consuetus eras versare libellos.
Ocia rostratas nunc agis inter aues.
Quam vellem te vel gemitu sanare precanti
Posse: vel effusis ante deum lachrymis
Implerem totas querulis vlulatibus aras
Ex oculis fluuio desiliente meis.
Sed male vexate cum sint ea vulnera mentis
Ut sola egroti consolidentur ope;
Jam miser ad succos animum cõuerte salubres.
Ne longa fiat plaga profunda mora.
Si labatur equus: se protinus erigit: an tu
E medio noles te releuare fimo?
Si bene cõnumeres annos: quos pleraq̃ turba
Viuendo nũq̃ preteriisse solet:
Plus tibi: q̃ restet: iam transiluisse videbis:
Pergis et auersa tu tamen ire via.
Forsitan expectas ad pharmaca emenda senectã
Quis tam longa tibi est tempora pollicitus
An Meleagreum tibi seruat ahenea torrem

Arca/sub innumeris victibus et laqueis?
Omnibus e celo fulmen meditare diebus
Decidere: et ventis hiscere posse solum.
Posse tuo gladium iugulo admouisse latronem:
Posse tibi a seruo nigra venena dari
Quã minimo possint homines occũbere casu:
Offenso Lepidus pollice testis erit
Quique acino periit vates: quosque ire coegit
Ad stygios palmæ nuncia fama lacus.
Mortalis quã stulta mei est obliuio: semper
Differre assuetis abstinuisse malis:
Quæque propagarũt perpauci in secula vitam:
Primum ibi viuendi velle sibi esse diem.
In barathri stantem te margine finge voracis:
Audaci ne petes vlteriora pede?
Ille: animi qui cuncta videt secreta latentis:
Te reuocat: tandem Zancle reflecte gradũ.
Idque caue: cinerum ne te comitentur ad vmbram
Crimina defuncto plus nocitura tibi.
Velantem metas animo: sere flebilis: vtque
Sufficiant latices lampados: esto vigil.
Plura loquar tecum: fuerit si copia fandi:
Sin minus: hæc aliquid pagina forsan aget.

¶ Nullam in bonis præsentibus quietẽ esse docet. Ad Iuliũ Ceruum. xxij.

AN qui Cerue bonis p̄sentibus affluit: atque
Delicijs: hilarem viuere posse putas?
Quod que tibi id minime liceat: crudelib9 audes

Vocibus æternos insimulare deos
Quis gerat vrbanis primos in rebus honores
Nec tamen hunc pallens torqueat anxietas:
Se ne aliquis sine mœsticia titubasse falerno
Noscat: et hesternas euomuisse dapes:
Quis nimios faciens sumptus nō igemat: et qs
Non egeat: clause si teneantur opes:
Quis secū velit Isthmiacas habitare puellas:
Nec se sollicito sentiat igne premi:
Nimirum imperio superi sanxere maligno:
Ne foret in studiis talibus vlla quies.
Ah tandem in melius mores cōpone vetustos
Velaqz nauigio commodiora para.
Quodqz tuū est: ventis ne diripiare sinistris:
Virtute in portum remige flecte ratem
Haud secus hinc aīm nulla aduersantia mutat:
Ac mare fluminieis nil variatur aquis.
Desine longæuos exposcere sedulus annos:
Inqz bonis multos annumerare dies.
Atqz hodie: fatale velit si rumpere filum
Atropos: impauido pectore disce mori.
Hic gladio incumbit: ne viuus seruiat hosti:
Irato erectis se iacit alter hero.
Duræ alius iacet ante fores iugulatus amicæ:
Opprobria hic pendens effugit: ille famem.
Quod misera efficitur formidine: tu ne negaris
Virtutis fieri posse patrocinio:
Haud vlli tranquilla potest contingere vita:

Si metuat: propero ne volet illa pede
Omnibus hoc tecum Juli meditare diebus
Durius amitti: que placuere magis.

¶ Crapulā detestatur. Ad Carolū xxiii.

Sunt ubi depaste volucres: vel in aere ludūt
Uel scalpunt plumas: se vl'in amne lavāt.
Atque ubi qd satis est: piscis ve pecus ve comedit
Intempestivo parcit uterque cibo.
Aut cadat: aut surgat titan: te cernit edentem:
Divellit solus te sopor a dapibus
Hi ne decent hoīem sublimi stēmate mores;
Hoc ne paludate nobilitatis opus;
Vidisti ne suem distento ventre iacentem;
Te nō absimili conditione puta.
Qua stomachi tam ferventis face Carole credis
Tot congesta simul fercula posse coquis
O miser: et ostende hominis de more perempti:
Differat a fecto cum tua vita nihil.
Una salus superest tamen: advertisse: quis esse
Exitus immodicis sueverit ex epulis.
Hinc incerta pedum vestigia: pallor in ore:
Hinc delirantis debilitas cerebri.
Hinc caput excutitur vertigine: bile tumescūt
Pectora: torquentur viscera: visus hebet.
Perque cutem largus totam diffunditur humor:
Sepeque mors tales occupat ante diem.
Maiores novere tuos occasus et ortus
Temporis ut primos Marte togaque sui.

Te ne putas iri a vitijs hac sorte redemptū:
Te ne putas dignum forsitan inde coli:
Degeneres nunc prœcedunt agmina tauri:
Vincere sed reliquos qui potuere mares.
Dux gregis est elephas alijs prœstantior: itq
Vltimus e turba: qui nihil audet: equus.
Te vitœ si tangit amor/ si gloria: noli
Maiorez captu ventris habere famez.

De iniuria œquo aīo fereda. Ad Claudiū xxiiij

Vindicte cupidus Claudi dedisse furores:
Vnius hanc voluit nam deus esse suam.
Quin potius ꝟbis maledicta repēde benignis
Jacturamq pio prosequere officio.
Sic venit ad palmam/ q̄ Christi i gymnade certat:
Namq ibi vincendi est succubuisse modus.
Testis erit. qui crate fuit crudeliter vstus:
Quiq hilaris cœdi singula membra tulit.
Testis erit Pauli ceruix: pendensq Philippus:
Et qui pectinibus dilaniatus obit.
Nonne vides vindictœ auiduz similē esse furētī:
Scintillant oculi/ stat coma/ labra tremunt.
Nec firmas tenet ille manus: ferturq citatis
Gressibus: et toto est multus in ore rubor.
Aestuat ima ferox circum prœcordia sanguis:
Denteq dens premitur: terra pede icta gemit.
Intorti crepitant digiti: stridetq coactus
Spiritus: et sensu fracta loquela caret.
Fœdaq et horrēda est facies. deformius vtrū

Sit vitium an grauius noscere difficile est.
Ah pudeat te saltem habitus ita turpis: et esse
Humanis finem cladibus esto memor.
Fœlices: quos exercent aduersa: quibusqꝫ
Ipsam etiam offensam nō meminisse placet
Qui mala nō animo tulerint illata superbo:
Miserit: hos valeat quod cruciare diu.
Improbus at sceleris retinēs sub pectore plagas
Flagitio tacite roditur vsqꝫ suo.
Si sapis: ergo pati malis: q̄ lædere Claudi:
Tartara percussor: sidera cæsus adit.
Cæsus Abel colit astriferas in præmia sedes:
Sed stygis antra Cain sanguinolentus habet

¶ De vitando ocio. Ad Cæsarem

Quod tibi sit facilis res omnis: et ocia turbet
Nil tua: te primū Cæsar in vrbe putas
Sit mare tranquillū: quid nauita laudis habebit
In portum salua perueniente rate?
Non minus hæc celebrāt: q̄ secla vetusta Catonē:
Scilicet huic segnis vita q̄ acta fuit?
Re magis haud vlla nituit: q̄ vase rotatus
Regulus: et Cocles: q̄ pede claudus erat
Unde fuit claros Lucullus adeptus honores?
An q̄ aceruatas torpuit inter opes?
In varios virtutis amor te concitet actus.
Illa nequit requiem mollitiemve pati.
Illa nec est voto/nec odore petenda sabæo:
Assiduo tantum quippe labore datur.

Ecce forum fremit oppresso viuire potentum:
Justicie hos contra fortiter affer opem.
Ecce feros contra parat arma ecclesia Turchos:
Curre flagellato pulverulentus equo.
Magni animum tibi sume viri: Christoqꝫ cliētes
Morte nihil timeas multiplicare tua.
Hinc habitant multoꝝ animi foelicia regna:
Magnaqꝫ factori proxima turba suo est.
Ut segetes: sic ingenium exercere necesse est
Precipui siquid germinis inde cupis.
Germina sunt: placida cōtra incursantia mente
Durare: et proprio non cecidisse loco
Germina sunt, duros nil formidare dolores:
Fortius et cunctis pectus habere malis
Ardua quid valeat virtus: patientia mōstrat:
Ocia sunt cupido poena laborqꝫ viro.
Nunqꝫ aliquid rear accidere infoelicius ulli:
Qꝫ res aduersi cum nihil eius habent.
Me crebris potius sors occupet aspera curis.
Quam foueat blando desidiosa sinu

¶ Habendi cupiditatē detestatur. Ad Linum xxvi

Arbor erat nullis mihi fructibꝰ apta ferēdis
Parte suburbani fertiliore mei.
Quam licet iratus saepe obtruncaret arator:
Surgebant rami mox tamen inde noui.
At ubi procubuit radicibus eruta ab imis:
Desijt inuisas excussisse comas
Sic scelerum radix sitis extirpetur habendi:

Omnibus exemptus si cupis esse malis.
Hinc siquidem prius vnanimes discordia frēs
Distrahit: hinc rapiens rex aliena furit.
Hinc domino parat insidias qui seruit: ⁊ annos
Filius enumerat patris: auiqȝ nepos.
Vim puer/ ⁊ sacræ patitur veneranda puellæ
Virginitas: modus est nullus adulterijs.
Sanguineo natat imbre solum: in casumqȝ ferūt
Oppida: et æquoreæ sollicitantur aquæ.
Nil neqȝ fas: neqȝ iura valent/ ac deniqȝ rerum
Nulla foris species tuta/ nec vlla domi est.
Sat magnas es adeptus opes sine tēpore paruo
Effectus ne animus lætior inde tuus?
Jam ne minus cupit illa fames? satiataqȝ tandē
Contenta est paucos nil inhiare dies
Sit tibi mons fului: quantū libet: arduus auri:
Sit mihi: naturæ quod satis esse queat.
Quid refert: ex diuerso qȝ alamur aceruo?
Quo ve cibo vitam viuat vterqȝ suam?
Nil secū moriēs locuples: nil portat egenus:
Morte relicturi plusqȝ minusqȝ sumus.
Exiguū natura petit: qui congruus illi
Vixerit: haud vnqȝ hic indigus esse potest.
Tollit in immensum se diuitis error auari:
Nec se vbi pacifica mente reponat: habz
Haud secus hinc illinc multos licet ebibat ānes
Admixtas sentit non tamen æquor aquas.
Excute te: scelerumqȝ para radice reuulsas

Vnde queas magnum promeruisse deum.

¶ Abijciendo amore desistendum. Ad Scribam xxvij

In doleo: miseretque tui me Scriba furoris:
Exigit vt veteris foedus amicitie.
Angit enim Pylade: quicquid deplorat Orestes
Moestaque Pirithoi Thesea cura mouet.
At patitur si vera fides: vt amicus amicum
Arguat: heu quorsum te grauis error agit.
Sic animum instabili permittis amore rotari:
Vt fera vesana sumpseris arma manu.
Credideris que viro decus esse ferire puellam:
O pudor: an plage te meminisse iuuat:
Heu quam multiplici tetri dominator auerni
Obuenit humanum calliditate genus:
Non modo res genitas vt numinis instar amemus
Verum etiam oderimus sepius ille facit.
Foelix: qui vigili seruat sua pectora sensu:
Nec sinit hostili corda patere dolo.
Aut postquam laqueis male cautus adheserit: instat
Sedulus obsessos explicuisse pedes.
Ne te ira crudeli vitam exhalare sub hoste
Sors velit: infandas frange age: frange plagas
Frange plagas summo dedens tua corda parenti:
Portus aberranti est vnicus ille rati.

¶ De diuina pace. Ad Paulum. xxviij

Non ego: cum Siculas sis pretor iturus ad vrbes
Orabo: vt fauste te comitentur aues.
Scilicet humane versuta negocia gentis

Omnipotens auribus supposuisse velit.
Ut comitem diuinam habeant tua pectora pacem
Suppliciter trinum Paule rogabo deum.
Sic poterit nec scylla tibi nec obesse carybdis:
Nec qui sulphureas mons vomit vsq; faces
Donec eris tanto munitus praeside: nunq;
Luxuries: nec opum te superabit amor.
Non fauor a recto: nec verba superba: nec ira:
Nec blandae poterunt te remouere preces.
Stabis: vt in medio cautes firmissima ponto:
Casibus et cunctis mens tua maior erit.
Hoc quicq; serit / seu vir seu foemina i agro:
Foenore prouentus vberiore legit.
Haec est illa seges nitidis preciosior astris:
Quae saturat viuo pectora nostra cibo.
O foelix nimium et rerum pulcherrima mensa:
O fortunatae terq; quaterq; dapes.
Si mihi cum multis vox esset ahenea linguis:
Et phoebea meum dextera moueret ebur.
Non tamen attigerim tā celsas carmine laudes:
Nulla capax tanti est musa ministerij
Non igitur volucri: sed te comitante per omēs
Paule vias summi pace tonantis abi
Hac ope erythreos Moses saluo agmine fluct9
Concinitur sicco preteriisse pede.
Hac ope confisus Josues consistere lunam
Jussit: et astrorum lentius ire ducem
Si te Paule geres pacata mente: benigno

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0023-7

Ore: nec in rebus sanguinolentus eris.
Certatim iuuenes cupient parere senesqꝫ:
Nec leuis imperio laus erit inde tuo.
Ac tibi nil rabidi poterunt nocuisse tyrãni:
Nil acherontei tota caterua laris.
Nec tua crudelis mors deterrere valebit
Pectora: seu iuuenis seu moriere senex.

¶ De referenda lingua Ad Titũ. xxix

Ne tua prædari valeant pomaria fures:
Muniri circum sentibus illa facis.
Nunqͩ inops adeo es Tite mẽtis: vt orã minore
Obseruanda tibi sedulitate putes?
Scilicet æterna pluris fecisse caducas
Diuitias animæ prosperitate decet.
Nonne vides: quali te garrula lingua catena
Vinciat? vtqꝫ animam vulneret vsqꝫ tuã?
Quos gemitus / quantas emitteret illa q̃relas
Si posset toties exanimata loqui.
Forsitan alterius decus infamare videtur
Esse tibi nullum seu mediocre nefas.
Cũ sapiens cunctis nomen sine crimĩe gazis
Præferat: es furti nũ leuis inde reus?
Hei mihi: q̃ miserũ est alienam carpere vitam:
Nec malle in melius composuisse suam.
Vescitur humana detractio carne: venenum
Ore gerens: odium pectore: tela manu.
Liuentes habet illa genas: pro crinibus angues:
Statqꝫ supercilijs turpis irudo loco.

Prorumpunt dentes: nares crispantur adunce:
Atraq̃ pallenti labra colore tremunt.
Tollere se nequeunt oculi: rectaq̃ tuentes
Nil acie prius se corda dolosa ferunt.
Te ne iuuant tam terribilis cõmercia monstri?
Unde tibi tantum pectoris esse potest?
Hei mihi/ q̃ late tantus diffunditur error.
Hei mihi: q̃ multos obruit ista lues.
Rodimus alterius maiore negocia cura.
Et placeat proprijs inuigilare bonis.
Parua licet sit lingua: tamen ferit acriter: atq̃
Attrahit in subitam corpora tota necem.
Ceu nemus exiguo vastum succenditur igni:
Euertit magnas lingua pusilla domos.
Non caret ingenio: quicunq̃ libentius audit:
Incustodito q̃ velit ore loqui.
Cum geminas natura homini ꝯcessit aures:
Os vnum: fari parcius illa iubet.
Sepe aliquis deflet laceris sua verba capillis:
Sed nunq̃ aut raro conticuisse dolet.
Stulticie reus ipse Solon: ꝙ pauca profari
Nollet: ait: stultus nemo tacere potest.
Jam caue: ne prestans animalia cetera verbis
Hac fias illis conditione minor.

¶ In dominicã precē Meditatio xxx.

Pater noster qui es in coelis.

QUid rogo siderei potui dominator olympi
In natum recipi promeruisse tuum?
Cur seruum tanto rex dignareris honore?

Cur

Sanctificet nomen tuum.

Scrutari humana quis ratione queat?
Cum referas te summa citi colere atria mundi:
Innuis: vt tantum dona superna petam.
Scilicet astrorum dominuz terrena rogarim
Que plerumqꝫ hominem precipitare solent.
Sed qua spe: aut quali cœlestia fronte precari
Ausim de fragili vas ego vile luto?
En hoc certa mihi datur hinc fiducia: cum te
Omnibus esse patris confiteare loco.
Precipuis igitur petimus super omnia votis
Vt tuus in cunctis semper ametur honos.
Nam si res aliqua ipsarum bonitate creatas
Diligimus: poteris cui satis ipse coli.
Ipsa etenim es bonitas: ꝛ vt optimus ipse creasti
Cuncta bona: ꝛ durent in bonitate facis.
Ergo nihil tua respiciens opera: vt tibi nullo
Debita reddatur gloria fine: precor.
Quodqꝫ mea intersit: me dirige: qua tibi maior
Crescat honos: vel si me stygia adire velis
Nil queror: en adsum: licet id me duriter angat:
Quod te in tartareo carcere nullus amat.
Cum tamen eternuz tota vi mentis in euum
Sit desiderium te coluisse meum:

Adueniat regnum tuum.

Sic tua sese homines clementia fūdat in omnes:
Currat ꝛ ad veram gens aliena fidem.
Iamqꝫ tuum mandans regnū aduentare flagellis
Parce per inuicte signa verenda crucis.
Quod si malueris pœna afficere nocentes:

Quod placet hic supera sicut in arce iube.
Nam si vno angelicæ grauiter cecidere cateruæ
Flagitio e summis ima sub antra polis:
Dedecet an scelerum plenos: dignosqꝫ sub orco
Supplicio/ hic aliquod nos subijsse maluz:
Perde pecus: subuerte casas: atqꝫ obrue natos:
Viuaqꝫ fac scateant corpora vermiculis
Laudari te malo mea ob dispendia: qꝫ quis
In requie tantum murmuret esse reum.
Vt prius ergo tuos optaui gratus honores:
Fas ita sit nostrum dehinc cupijsse bonum.
Non ego diuitias Crœsi: non robur Achillis
Posco: nec aonijs congrua plectra sonis.
Da precor: vt liceat: qui viuus ab æthere fulsit:
Perpetuo nobis tempore pane frui.
O hominum tande fœlicia pabula: quando est
Huius ab aduentu nostra renata salus
Cuncta prius densis fuerant immersa tenebris:
Optatum nobis attulit iste iubar.
Cumqꝫ suo tunc pane carens humanus obiret
Spiritus: æternos nunc habet inde dies.
Hunc mandet: vesci quicunqꝫ salubriter optat:
Non secus ac animo præmeditante crucem.
Atqꝫ salutari bene digerat ordine: plangat
Corde sui opprobrijs compaciente ducis.
Eius et exemplo (quod perficit omnia) vitaz
Transigat: & lata non amet ire via.
Quod ne delictis cunctantur agamus honusti:

Fiat volũtas tua sicut i celo et in terra

Panẽ no. qt. da nob hodie

Et dimitte nobis debita nra

Crimina nostra tuo sanguine Christe lava

Heu quoties lucri: q[uam] saepe cupidine famae:

Q[uam] misere laesi te pede: voce: manu.

Sicut et nos dimittimus

Sed quot[us] est dolor inde tu[us] me[us]: obsecro: mecu[m]

Mortis agas recolens praemia sola tuae.

Nos etiam rabidis venia[m] damus hostib[us]: et ne

Sicut et nos di. deb. nris. Et ne nos iducas i te. Sed lib. nos a malo.

Quam cupiunt: renuas ferre rogamus opem.

Quod reliqu[um] est: co[n]cede simul: ne carnis amore

Seu mundi inceptum destituamus iter.

Avaroq[ue] rudes erebi Jove protege sensus:

Nec prius: vivam q[uam] male: qu[ae]so neca.

Hymnus ad beatã virginẽ Mariã xxxi.

O Summi genitrix Maria imaculata tonãtis

O sponsa o nati filia vera tui:

Tu partu: tu post virgo velut ante fuisti:

Unica tu nato digna reperta deo.

Dum pareres: nullum sensisti sola dolorem:

Dum pareres: toto pax fuit alma solo.

Hesperus emicuit: sol aureus ivit: et omnis

Laetari partu belua visa tuo est.

Tunc una lusere lupi: tutusq[ue] capellae:

Lusit piscis aquis: aere lusit avis.

Floruit omnis ager: tacuit Zanclea charybdis:

Visaq[ue] sunt laetum mittere saxa melos.

Mellifluus summo est emissus ab aethere cant[us]

Omnia iucundis plena fuere iocis.

Qui prius obscuris errare solebat in umbris:

Est hominu[m] donis lux adaperta tuis.

Ad superas patuit sanctis via patrib⁹ arces:
Tartareę fuit ianua fracta domus.
Nemo tibi frustra se commendare fatetur:
Nemo tuam frustra poscere fertur opem.
Nō vocat incassum tua noīa compede vinctus
Nec qui carnifici colla necanda dedit.
Optima das ęgro medicamina: teq3 vocata
Qui fuerat captus lumine: lumen habet.
Ille quidem euasit te mille fauente per hostes:
Sospes ab excelso decidit ille iugo.
Hic illęsus equo rapitur per saxa volanti:
Rectum carpit iter: qui modo claudus erat.
Denique q̄ varijs hominem seruare periclis
Consueris: passim picta tabella docet.
Non ego nunc venio faciles per inhospita curs⁹
Non oraturus per freta longa vias:
In sata non imbres arentia: siue serenum
Vda nimis: non pro fratre iacente thoro.
Non pro matre ęgra: non pro ęgrotante sorore:
Non mea vt immiti corpora febre leues.
Te fautrice deus nobis peccata remittit:
Participes regni nos facit esse sui.
Nūc precor vt reddas vnū mihi virgo benignū:
Angelicos supra virgo locata choros.
Septenis scelerum mens est mea vincta catenis
Has confringe: tua sim rogo liber ope.

¶ De Ingratitudine in deum xxxi.

Ingratos quereris multos tibi Maure fuisse

Vt referas: largas comprimis inde manus.
Si semel atq; iterum nullas tibi prædia fruges
Reddiderint: semen non renouare voles?
Et facto mare naufragio tentamus: & itur
Ad fera post multam prælia perniciem.
Sæpe quod in multis sterilis non protulit annis
Campus: id vbertas vnius omne tulit.
Si quicquid lædit nos: deseruisse velimus:
Torpebunt spacio pectora nostra breui.
Si quod agis: superum faceret pater: vnde lyeus
Vnde ceres nobis? vnde darentur aquæ?
Quis somnus requiē ferret? quis lampada titā?
Quis Zephirus vernos condecoraret agros?
Quo staret pax alma loco? nos vnde liceret
Protegere a ventis æstibus imbre gelu?
Inuocat ille deum medijs in fluctibus: ille.
Ex indignanti præcipitatus equo
Si Mars sanguineis furialiter obstrepat armis
Si seges vsta diu nulla alimenta ferat:
Si monstrosa sacri contagio sæuiat ignis:
Deucaleoneas si metuamus aquas:
Thuricremas subito flentes properamus ad aras
Diuinamq; pia voce rogamus opem.
At simul hinc saluis abiere pericula rebus:
Vertimus immemores terga repente deo.
Hunc reuocat meretrix: illum gula: plurima turba
Ad fastum: inuidiam: murmura: furta redit.
Heu heu: quo tantis famulabimur vsq; tyrannis?

Nosq; trahi vincti more sinemus equi:
Ah pudeat cœleste animal terrena sitire.
Et prona erectum lumina ferre diu.
Iamq;: quid humana lateat sub carne: requirat.
Nolit et inuentum prostituisse solo.
Sed quecūq; dei: quecunq; videbimus esse
Cesaris: hec habeat Cesar: at illa deus.

Oia diuina puidētia recte regi. Ad Seuerū xxxiij.

Nocte micant stelle: dubiam Tithonia lucem
Euehit: et certum clarus Apollo diem.
Nunc toto nunc dimidio micat orbe: minus ve
Plus ve: nec interdum Cynthia lumen habet.
Terra immota sua vi pendet: et astra rotantur:
Et mare per certas it remeatq; vices.
Nec modice ex parua fruges semente leguntur:
Hec melius linum fert seges: illa fabas.
Prorumpunt quandoq; iugis incendia fractis:
Hyberno frondes tempore laurus habet.
Indurat glebas cogitq; liquescere ceram
Ignis: et elisa fulgura cote micant.
Quid pluuias lucente graues hyperione dicam:
Magna quid e riuo flumina nata breui:
Hec fuit: illa nouo se profert insula dorso:
Nascitur hoc animal: crescit: et illud obit.
Falleris hec fieri si casu et cetera credis:
Cum causas habeant orta Seuere suas.
Quis nitidos vestit squamoso tegmine pisces
Quis gemino alarum remige munit aues:

An fortasse graues sunt nullo auctore lapilli?
Atq; calor flammis insitus: humor aquis?
Si casu hec veniunt: cur nūq; est squameus ales?
Nec verso plumas ordine piscis habet?
Cur aqua nil siccat: nihil humectatur ab igni?
Ardua cur nullus tendit in astra lapis?
Semper vbi immoto pcedunt cuncta tenore:
Nullam ibi vim varius casus habere potest
Quicquid agit tantillū animal formica: sub hac est
Legis: et a summo causa tonante venit.
Siqua cadunt homini vel leta vel aspera: noli
Judicio magni non tribuisse dei.
Nec moueat te: multa bonos q̄a sepius angāt:
Quodq; mali valeant delicijsq; fluant.
Quos astutus amat genitor: tenet arctius: et q̄s
Oderit hos libito viuere more sinit.
Sic salices: quia sunt steriles: nulla educat arte
Rusticus: ast omni sedulitate pyros.
Vidi ego correctos nulli vim ferre leones:
Non castigatas sepe ferire canes.
Judicium explorare dei dementia summa est:
Maior ab hoc recte cuncta negasse regi.

De Elemosina Ad Marcū xxxiiij.

SI quid arenoso pingas in littore: fluctus
Obruit: aut tumidi seua procella noti.
Et cerusa perit digito: et flammā enecat imber
Atq; abaci delet canna satiua notas.

Assiduis sic abluitur mens sordida donis:
Infaustis fuerint si data pauperibus.
Ac velut est scelerum fomes sitibunda cupido:
Larga ita virtutum est portus & aura manus.
Quod viduas fuerat tutata libenter egenas:
Ad vitam domita morte Tabita redit.
Si sua Chaldeus Daniele monente tyrannus
Purgasset iussis crimina muneribus:
Certe ea perpessus nunq̃ tormenta fuisset:
Quae nocturna fuit vaticinata quies.
Tu tamē hec cū Marce legas: cumulare labores
Stemate maiores irrequietus opes.
Ne pereat census/vigilas/animaeq; salutem
Despicis: & salua re periisse iuuat.
Ah miser ad fontes hac nocte vocaberis vmbras:
Et congesta tibi tot bona cuius erunt?
Forsan adhuc venis salientibus auferet hostis:
Nemoq; qui ponet veste cadauer erit.
Nonne illud multis contigere cernimus? an tu
Fortunae solus non es in orbe rotae?
Quin ipso pendens in margine forsan iturus
Cras: hodie in praeceps: nec tamen ista times.
Nec mirum. rabies quia te caecauit habendi:
Intentusq; lucro nulla pericla vides.
Huc nihil intulimus: nihil hinc auferre valemus:
Oppida rex moriens: friuola linquit inops.
Vis doceam: quo gaza modo tamē esse perennis
Possit: eam fido pauperis abde sinu.

Captiuos redimat defossa pecunia: nudos
Uecte sub innumero pallia clausa tegant.
Accipiant spaciosa vagos palacia: quicq̃
Esurit/ hunc/ superest qui tibi: panis alat.
Sic homines facimus nobis superosq̃ benignos
Sic bene dispensas multiplicamus opes.
Quæ quondam vati paulum donauit olliui:
Plena habuit caris vasa diebus anus
De modico dedit hæc totū: tu pauca recusas
Ex coaceruata fertilitate dare?
Passibus it lentis dubijsq̃ viator honustus:
Sese sarcinulis: qui petit astra: leuet:
Quam stultum est præferre bonis terrena supnis
Diuina humanis: fluxaq̃ perpetuis.
Qui coram fuerit populis opulentior: illo
Pauperior coram numine nullus erit.
Quicquid credidimꝰ Chro: nec latro nec audax
Filius: aut fiscus: lis ve maligna rapit.
In tuto est: quodcunq̃ deo custode tenetur:
Hoc est hæredi consuluisse suo.
Pascitur in medio diuinitus ille leonum: Daniel
Hic coruo in solis auxiliante locis: Helias
Et tibi ne desit victus sobolisq̃ timebis:
Si bene de summo promereare deo?
Nunq̃ arãt volucres: nū frugibꝰ horrea cōplēt:
Cælestis tamē his fert alimenta pater:
Nec te munifica præsignem mente iuuabit?
Pauperibus quisquis donat: egere nequit.

Si tua conseruo claudes praecordia: quicquid
Est tibi largitus: reddere coget herus.
Pone: q̄ hinc referenda foret tibi gratia nusq̄
Quae virtus magis est / q̄ dare digna viro?
Vnde magis sequitur domini vestigia: q̄ cum
Pluribus assiduam suppeditamus opem?
In commune suum facit is lucescere solem:
Innumera noctes irradiare face.
Dat proprias cunctis escas animātib⁹: omnes
Tegmine corporibus conueniente tegit.
Infoelix: quicūq̄ graui se mancipat auro:
Vinctus is ingenti marmore colla natat.
Ne peteas: memor Archytae sine cuncta perire
Praedia: et a duplici pocula quaere manu.
Res homines humana decet / feritasq̄ ferarum est:
Quem nunq̄ miseret: vir sapit ille feram.
Te frustra natura animal lachrymabile fecit:
Si durum medio corde adamanta geris

¶ De vicio auditus. Ad Iuliū. xxxv.

Quod gen⁹ hoc hoīs est: vt q̄cq̄d dixeris illos
Protinus infensis auribus accipiant?
In partemq̄ trahāt fidissima verba sinistram?
Indeq̄ fulminei more ferantur apri?
Nimirum tolerare nequit mens improba verū:
Seq̄ peti scelerum conscia corda putant.
Idq̄ audire piget: quod agūt: hic sputa loquūtur
Hinc digitos mordent insidiasq̄ parāt.
Saucius vt tacto gemit vlcere: mens ita: siq̄s

Tentet eam verbis: flagitiosa dolet
Quam melius placidas monitori traderet aures
Quæreret ac vicijs imposuisse modum.
Scilicet auditus datus est: vt sermo maligne
Captus auernales huc trahat eumenidas
Misceat et iustis iniusta: incesta pudicis:
Damna lucris: veris falsa: dolos fidei.
Quod precor id vicij est furti auscultare loquẽtes:
Noscereque inuitis velle aliena viris:
Si sapies: audire nihil curabis Juli:
Quod nequeat mores cõtribuisse bonos.
Idque vnũ quæres omni cõprendere cura:
Quo fretus cupias nocte dieque mori.

De adulatione Ad Marianum xxxvi.

In medijs te munificum Mariane rapinis
Inque ipsa vrbanũ rusticitate vocant.
Et tua blandiloquo mens est ita prona susurro:
Vt te illis dignũ laudibus esse putes:
Cum gemeret Macedũ rex ictus arũdine magnus:
Suspensumque tenens crus resideret equo:
Esse Jouis me progeniem vos dicitis inquit.
Est hominem plage clamitat esse dolor.
Te quoque: quã calcas: terra arguat esse caducã
Bestiolam: et tanti quod facis: esse nihil.
Sulphureo siquidẽ laus ficta simillima fumo est:
Ab breue vanescit tempus: obestque diu.
Selliferum digitis te scalpere credis olympũ:
In scrobe cũ teneas brachia: colla: caput.

Sed quia te lactat vox blanda: emergere nescis
Mensqꝫ suis plaudit credula vulneribus.
Nulla diu fallunt mendacia: donec Eois
Surgat aquis Titan: omnia nocte latent.
Exorto actutū apparent hyperione sordes:
In lucem veniunt crimina cuncta breui.
Te multi vocitant sapientem: nunq̄d eodem:
Seu bona seu mala sint fata: tenore manes.
Consule te: nunq̄d tibi læta videtur egestas:
Cordaqꝫ nec probrū: nec tua tangit honor.
Quod si sollicitat spes: si penuria turbat:
Sisternunt animum classica pulsa tuum:
Cur ita das faciles assentatoribus aures:
Vis ne aliis potius q̄ tibi habere fidem?
En tibi laudato pudor inficit ora: ruborqꝫ
Gestit in aspectos explicuisse dolos;
Et tamen attollis cristas: falsisqꝫ tumescis
Laudibus: et gradiēs vir pede tāgis humū.
Neqꝫ pari cū cœlicolis pugnare videris:
Teqꝫ etiam forsan posse tonare putas.
Heu fuge palpantes teneris tua pectora verbis:
Corrumpunt animas obtenebrātqꝫ leues.
Quod precor officiū est caris illudere amicis?
Utqꝫ illis placeam: subdola verba loqui?
Ni quia ab his cupiam laudes audire vicissim:
Et mea consimili pectora fraude capi.
Sentibus obsepi geminas pungentib⁹ aures:
Si cupis hæc nequeat cor penetrare lues.

Mollior est oleo: sensim(que) illabitur intro:
Sed grauius telis inter loca ferit.
Q(uam) stultum est aperire fores his hostibus vltro:
Sola vbi dat palmam ianua clausa suis.
Nonne vides: quātū laudata insania crescat:
Et quodcu(m)q(ue) aliquis crimen in astra ferat:
Foelix o nimium: qui se scrutatur in imo:
Nec nisi vult proprio credere iudicio
Nec sua ab instabili probitas vt pendeat aura:
Sustinet: (et) soli vult bonus esse deo.

Dissolui cupit (et) esse cū Chro. xxxvij.

Quo meus vsq(ue) colet teterrima corporis antra
Spiritus: (et) luteo pondere curuus erit:
Exibit ne vnq(uam) tam dura ergastula: nunquid,
Cum socia semper prælia carne geret:
Si fuerit postrata venus: gula sæuit: et iræ
Succedit fastus: liuor auaritiæ.
Alterius caput est omnis victoria belli:
Hostem(que) deuicto protinus hostis adest.
Militiæ genus est totum quod viuimus: atq(ue)
Hora repentinis non caret vlla malis.
Et tamen in summis vita est longissima votis:
Et nihil hac homines dulcius esse putant.
Sic et nauta potest ventis agitatus et vndis
Credere nil fragili tutius esse rate.
Dulce ne quis rapidæ feruescere duxerit æstu
Febris: (et) assiduo corda tremore quati:
Aut rabidæ morsu canis huc illuc(que) rotari:

Aut quo plus biberis: plus stimulare sitim.
Seu solui in fluxum: siue inturgescere ventrem.
Siue oculos squammis: siue cruore tegi.
Crura ve mortifera putredine cedere: siue
Brachia/ siue pedem/ seu resecare manum.
Quid genera enstar morborum cuncta referre?
Cum nec voce queant ingenio ve capi.
Siquis habet latos fundos: vim grandinis atque
Flumina cum ventis impetuosa timet.
Prelia rex metuit: fures ditissimus auri:
Querendis opibus semper anhelat inops.
Formidat iuuenis seniores floridus annos:
Decrepitusque dolet tempora lapsa senex.
Contentus nemo viuit: meliora sed optat
Hoc magis: assequitur quo meliora magis.
Ad summum natura bonū cum nostra feratur
Hoc explere sitim mens nequit in pelago.
Ad superas: opus est: vt libera transuolet arces.
Gutture se pleno si satiare cupit.
Natus ad etheree solacia spiritus aule:
Terrena nunq̄ sede quietus erit.
Sic lapis astrifero si deijceretur ab axe:
Cessaret nunq̄: donec adiret humum.
Si mihi fas eterne queri pater: hāc mihi vitam
Plus equo in longum protrahis exilium.
Corporeos anime tandem dissoluere nodos
Detur: et ad patrios hinc remeare lares.
Terra suos capiat cineres: petat illa recessus

Sidereos: talem nata tenere locum:
Si tuus hanc natus moriens a morte redemit.
Uiua redeptori restituenda suo est.
Corporeo dum clausa luto est. defuncta putatur:
Et busti signum pro vice corpus habet.
Hanc vlulans venit in lucem: iugique labore
Se regit: ut tumida nauita qualis aqua
Quantum ignara sui lachrymarum infantia fundit?
Quantum incomposito corde iuuenta tumet?
Quam varios patitur morosa senecta dolores?
Et vitam in tali sorte quis esse putat?
Nimirum is dicat se viuere cuius ab ortu
Sese omni in mortem tempore vita rapit
Ne pro me incassum sit filius ergo peremptus:
Mens sibi promissos ducat in arce dies.
Nec meritis id adepta suis sed sanguine Christi
Stans triplici coram numine semper ouet.

Amicitia Christiana qualis sit Ad Carolum xxxviij

Nonne datum satis extincto est meroris amico?
Bustaque sat lachrymas nonne bibere suas?
Nunquid amicitie lex exigit omne per euum
Pirithoo Theseus vt moriente fleat?
An potius ferat amissum patienter? et omnem
Det: quamcunque potest: manibus eius opem?
Ergo superuacuos: quantum potes: opprime planctus
Quid deceatque virum: iam meminisse velis.
Est hominis natura mori: non poena: nihilque
Est graue: quod semel est: ortaque cuncta cadunt

An male quis nascente dolet: gaudetqꝫ sepultis:
Viuere seruitium est: libera vita mori.
Tandem in ɔsiliū ratio absit insane vocetur.
Damna leuat, sedat iurgia, bella fugat.
Congruaqꝫ in duris reperit solatia rebus:
Nosqꝫ aliquid longo tempore flere vetat.
Si vero id doleas: quia sis priuatus amico:
Qꝫ cito vis alium non ne parare potes:
Non aliter: tabulam Cous si perdat Apelles:
Protinus huic similem: si volet: efficiet.
Fac constāter ames, ꝛ amaberis, vnus et alter
Tertius et quartus semper amicus erit.
At (nisi more suo vulgi sint ficta loquacis
Murmura) nō hominē: sed tua dāna doles
Perlege amicitias sanctoꝝ Carole: nullus
Terrenꝰ causa commoditatis amat
Sed sibi ne desint: quibus ægrotantibꝰ adsit:
Largaqꝫ det duris munera temporibus.
Frenandiqꝫ modū veneris demōstret, ꝛ ire:
Instruat ꝛ vetitis abstinuisse lucris.
Quos regat errantes: quos lapsos sublevet: atqꝫ
Septenum doceat quos miserantis opus.
Deniqꝫ quo valeant sibi conciliare tonantē
Officio: ꝛ superas introijsse domos.
Rumores posito conuince dolore malignos
Mens tranquilla probi testis amoris erit.

Finis secundi libri.

Excusū Monasterij Anno dn̄i M.D.xvi.

8° L 1051

ULB Halle
004 974 344

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0043-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0044-4

...i Bigi pictoris
...lis Christianoꝝ
...liber secundus

...dine
...ost grossa expelleret fraude
...armatos sumere iussa fuit
...Mantuanus
...iussa fuit, & vulnere vulnus

Farbkarte #13 B.I.G.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-440505-p0045-9